

fuerint egregiè exornata, in quæ hospites sibi amicissimos carissimosque dormiendi gratia deducerent. Addit autem h. l. Deus intra conclavia TUA: quia propter beneficia meritò Christi communicata cœperunt esse nostra. Unde in *requiem*, quæ DEI dicitur *Heb. III, 11. & 18. & cap. IV, 15.* etiam dicuntur illi, qui sunt Christi participes, *transire. Heb. IV, 11.* Et suum cuique dormitorium, sua cuique quies peculiaris est, prout sepulcra concamerata & singulorum corporum singula fuisse, docet *B. Geierus* de ludu Ebræorum p. 137.

§. 5. *וּלְתֵיבָהּ וּסְגֵרָה* (*claudere ostia tua*). Vocab. *וּלְתֵיבָהּ* est circello notatum: unde *Masoretha* in margine adscribunt *וּלְתֵיבָהּ*. Aliàs illa phrasis, *claudere fores*, sumitur etiam in Scriptura tum propriè, tum impropiè. (1.) Propriè *Gen. XIX, 6.* ubi Loth dicitur obseratis ædium suarum foribus prodiisse. (2.) Impropiè significat idem, atque alios ab accessu alicujus loci prohibere. e. g. *Matth. XXV, 10.* ubi fstruæ virgines, clausis januis, ad sapientes non dicuntur intromissæ: quâ ratione etiam Christus de Pharisæis & Scribis dicit, quod *claudant regnum cælorum*. Et addit *ἐξουσίαν ἐνεχειν*, quod *introituros prohibeant*. Conf. *Glass. Rhet. S. Tr. I. cap. XII. p. 391.* significat etiam, à rerum humanarum curis secedere, prout orantibus præcipitur, ut *claudant ostium cubiculi. Matth. VI, 6.* non tam habito respectu ad actum externum, quàm ad abstractionem cordis à peregrinis cogitationibus & captanda aura populari. Respicit etiam nonnunquam ad finem peculiarem, qui est *aliquem à metu relevare*, prout occurrit *Gen. VII, 16.* ubi Deus arcam claudens ab omni metu simul Noachum relevavit, persuasum quippe, nullis aquarum fluctibus machinam interituram, nullâ vi undarum compages asserum laxatum iri. Ita si ad nostri textûs verba respicias, dicendum, quòd cum morientes cubicula sua claudere non possunt

possunt